

XL. Eadem distinctio ad bonos malosque angelos quoque transferri potest. Diabolus enim ejusque angeli, quamvis excœcent mentes reproborum, ne verum Scripturæ sensum multis locis videant, quamvis sophisticis speculationibus dementent pseudopphetas, ut Scripturas malè intelligant & explicent, & per eos plebem & auditores in errores inducant & in iis detineant: Verum tamen Scripturæ sensum æquè ac sancti intelligant, & Scripturarum intelligentiâ etiam doctissimos & illuminatissimos homines in multis superant. Omnis tamen ipsorum apprehensio & cognitio est vana, profana, tenebrosa, mortua & maledicta: sanctorum verò angelorum apprehensio & cognitio, ut hominum piorum, est lucida, sancta, viva, efficax & benedicta.

XLI. Inter hominum verò sanctorum & angelorum sanctorum apprehensionem & notitiam hoc interest, quod angeli con creatum sibi lumen intellectus & sapientiam divinam conservârunt ac retinuerint, in eaque conservati sunt; homines verò electi sapientiam Adami lapsu perdiderint, & naturaliter cœci, tenebris obstiti & insipientes supernaturaliter illuminentur & sanctificentur: item quod angelorum jam confirmatorum notitia certa & perfecta sit: hominum autem viatorum multis dubitationibus obnoxia & valde imperfecta: perficienda in cœlis cum, angelis associabuntur, nec jam amplius per fidem, sed per aspectum ambulabunt.

XLII. Ex hisce autem patet, exiguam Scripturæ notitiam, in homine plebejo, sed regenito spiritualem, multo esse præstantiorem magnâ & admirabili notitiâ, in homine docto, sed irregenito, naturali, carnali & mundano: & idiotam, prima Theologiæ rudimenta spiritualiter intelligentem, longè præferendum esse, & præferri judicio & æstimatione Dei, quæ non errat, non tantum docto magnoque Theologo falsam & heterodoxam; sed etiam veram & Orthodoxam Theologiam, juxta verum Scripturæ sensum, intelligenti profitenti, &, contra quosvis adversarios veritatis, defendere valenti. Ac proinde in vocatione Candidatorum sacri ministerii, vel exercitatorum Theologorum, ad ministerium verbi divini in Ecclesia, vel professionem Theologiæ in Schola aliqua, potissimum spectandum esse, ut eligantur homines à Deo